

190

188

194

184

199

179

239

139

289

089

Ende

Anfang

175

quod tamen non est, quia foramina omnia tria sunt magna,
ita quod homo potest manum immittere, et tactu percipere,
quod ibi nulla est fixura nec in dorso nec in capite crucis.
Ego quidem potuissem hoc curiosius investigasse quam feci,
sed Deum timui, et (**B**) quod aliis facere prohibui, ipse
non facere debui. Ascendi enim montem hunc ad crucem
honorandam, non ad miraculum experendum, vel ad Deum
tentandum. Ut autem haec crux venerabilior esset, apposue-
runt particulam unam de vera Christi cruce. In hac capella
pendet una campana, quam pulsavimus, tam ante quam post
Missam, et dixi sociis meis, quod amplius non essemus
audituri campanam aliquam usque ad redditum nostrum in
Christianorum terras. Et hoc fuit verum, quia postea in
quatuor mensibus nullam audivi campanam, nisi hanc, quam
credimus esse huc positam per Sanctam Helenam, quae et
crucem huc collocavit. Sed qua ratione mota fuit illa sancta
foemina ad ponendum illam crucem huc? Dicere possemus,
quod hoc fecit rationabiliter illa sancta mulier multis de causis.
I. Pro destructione gentilium rituum et errorum. Erat enim
in monte hoc templum Veneri consecratum, cui et tota insula
dicata extitit, quia in ea ubique exempla suae impudicitiae
dereliquit. Ideo pudicissima Helena templo hoc destructo
crucem pudicitiae regulam huc collocavit, et viros religiosos
castitatis sectatores hic in confutationem Veneris habitare
constituit. Et montis nomen mutavit: qui prius Ydolius dice-
batur, jam mons Sanctae Crucis dicitur. Veteres etiam dixerunt,
quod Perseus, totius nobilitatis Graeciae pater, ex hoc monte
volatum accepit ad liberandam Andromedam, alligatam scopulo
Joppae, et beluae marinae traditam devorandam. Ex eo etiam
evolavit ad expugnandum Gorgonem. Multi ergo propter haec
fantastica huc ascenderunt ad videndum. Ideo sancta mulier
crucem, de qua latro volavit in paradysum, huc posuit. **II.**
Hoc fecit pro confortatione Cypriorum, id est, hominum de
Cypro. Nam in quodam loco hujus montis hiatus est, et ex
eo agente spiritu quidam audiebantur rumores et murmura
progredi, et dicebatur ibi esse descensus inferorum, et ex eo
Cypri magis infernum timebant, cum ejus descensum apud se
esse cernerent. Contra hunc mutilem timorem opposuit sancta

